

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
DIGNITATE MEDICINAE,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS
AC DIRECTORIS,
SPECTABILIS DOMINI DECANI
AC
CHARISSIMORUM DD. PROFESSORUM,
PRO
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
RITE OBTINENDA
IN
ALMA AC CELEBERRIMA
REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE
HUNGARICA
PUBLICAE DISQUISITIONI
JOSEPHUS SZEPESY
HUNGARUS NOBILIS
SUBMITTIT.

Theses adnexae publice defendentur in palatio Univer-
sitatis majori die Junii 1836.

BUDA E,
TYPIS REGIAE UNIVERSIT. HUNGARICAE.

ADMODUM
REVERENDO DOMINO DOMINO
SAMUELI SZEPESSY,

PAROCHO ZAJTENSI,

NEC NON INCLYTI COMITATUS DE UNGH
TABULAE JUDICIARIAE ASSESSORI,
FRATRI SUO DILECTISSIMO

DEDICAT

HOCCE OPUSCULUM

AUCTOR.

Accipe, charissime Frater! hasce laborum meorum primitias
in signum sinceri amoris et dilectionis.

§. 1. Definitio Medicinae.

Scientiarum Naturalium flos, e principiis philosophicis progerminans, circa vitam et vitae rationes tam internas, quam externas versans, leges, conditiones, modos vitae indagans, aberrationes ejusdem, juxta quantitatem, qualitatem et harmonicum consensum scrutans, vitam in sphaera sua ita conservare et dirigere docens, ut ad metam sibi a Natura praefixam pertingat, aut si haec a legibus, conditionibus et modis sibi praescriptis aberret, eam ad rectum tramitem reducendi et reinviandi, media, modum et conditiones proponens; Medicina nuncupatur.

§. 2. Conspectus Medicinae.

Cum circa vitae leges versetur Medicina, plures scientias involvit et necessarie involvere debet, ut scopum suum adsequatur: complexum legum, quibus vita obedit, atque manifestationes vitae diversissimas, formis innumeris, uti et functiones organismorum et singulorum organorum, quae sunt processus vitales eorundem docet Physiologia sensu strictiori sumpta, cum autem innumeris formis, formarumque speciebus vita semet manifestet, opus erit noscere hasce formas, scientia nos has

docens est Anatomia latissimo sensu sumpta, seu Antropotomia, Zootomia et Phytotomia; cum porro ut vitae leges et conditiones, sub quibus haec consistit, consistereque potest, noscere et eruere valeamus, praevidere nos dirigit Physica stricte sumpta; docens corporum relationem Omnium ad Omnia et Physica Anorganicorum seu Minerophysica; docens corporum relationem singulorum ad singula; cum autem in his scientiis non nisi mens studiis philosophicis exulta rite versari atque sub omni respectu vitae leges eruere possit, patet Medicinam omnes scientias philosophiae involvere; sed Medicinae in his adquiescendum non est, ut ex definitione luculenter patet, verum conatur noscere aberrationes ab his vitae legibus, naturam aberrationum harum causas, et effectus earundem, quas docet Pathologia generalis seu Nosologia Aetiologia et Symptomatologia, iisdem demum aberrationibus vult occurrere et hunc modum docet Therapia; media, modos, conditiones, quibus occurritur seu quibus abnormis status ad normalem reducitur actionem horum mediorum ad organismum et reactionem organismi ad haec et quantitativam et qualitativam, modum et conditionem docet Pharmacologia; haec iterum remedia ita praeparare, ut modo in hunc modo in illum conflictum cum organismo venire possint, docet Pharmacia, quae intimo nexu conjuncta est cum Chemia, seu quae est Chemia applicata, docens corporum compositionem et recompositionem. Hae scientiae, quarum una alteri lucem procurat, nexu intimo Scientiam Medicam efficiunt, cum autem hae scientiae ita constitutae et comparatae sint, ut partim ostendant, quas leges, conditiones et quos modos, vita in debito tenore sequatur, partim quae conditiones, media, modi, mutanda, procuranda sint, ut vita a legitima via deflexa ad eandem reinvietur, facile patet Medicinam in scientiam et artem abire.

§. 3. Objectum Medicinae.

Objectum Medicinae (ut caetera transeam) est homo seu vita humana; cum autem omnia, quaequae existunt, intimo nexu cohaereant, in se agant et reagant, et quidem et omnia ad omnia et singula ad singula, ita ut perpetuus fluxus et refluxus in universa natura vigeat, Medicinae erit et universam naturam corpoream analytice scrutari, et hominem tamquam gradatam repetitionem et perfectionem accurate noscere. Homo sicut et quaequae existunt, manifestat se per spatium et tempus; per spatium materia peculiari forma et mixtione praedita; per tempus actione, si partes materiae chemicas (in quantum per Antropo-chemiam explorare licet) consideremus, remotas ex elementis seu partibus, quarum decompositio hucdum ignoratur, uti: ex oxygenio, hydrogenio, azoo, carbonio, phosphoro, sulphure, ferro, mangano, calcaria, magnesia, silica, aut ex his varie inter se unitis et eo ipso partibus chemicis prioribus, uti: aqua, acidis, mucis, gelatina, albumine fibrina, adipe, acido lactico et ozmazoo constare videmus, ex quibus materiis varie inter se combinatis partes certa forma praeditae seu anatomicae formantur, quae si remotissimas scrutemur globulos minimos et liquidum coagulabile deprehendimus, ex his solis vel liquido coagulabili junctis, oriuntur fibrae et lamellae, ex quibus varie inter se nexis cellulae originem sumunt; tandem ex his formantur organa et organorum series majores, nec non integer organismus, ut adeo organismum humanum anatomicè consideratum reperiamus constare ex multis ejusmodi systematibus, quae et relate ad formam, et relate ad functionem diversa relatione differunt; quod si singillatim systemata haecce organica lustremus, gradatim vitae manifestationes deprehendemus, ita, ut in systemate ossium vitam, ut in

anorganicis sensibus vix perceptibilem observemus, in systemate celluloso vitam plantis analogam se per lentam contractionem et expansionem manifestantem animadvertimus, in systemate musculari vitam altiozem irritabilem nempe admiramur, tandem in systemate nervoso vitam ad culmen usque evectam cernimus sensilitate nobis notam. Materia porro omnis prodit activitatem et quidem ratione dupplici, motu manifesto, attractione plurium vincente effectuato, vel quiete attractione unius seu particularum unius vincente effectuata; si vitam dixerimus activitatem internam propriam dynamicam, definitio haecce vitae adaequata non erit, nam nec corporibus vulgo mortuis propriam activitatem abjudicare valemus; nec vivis absolutam internam activitatem ab omni externo impulsu et influxu abjudicare valemus, est enim omnis activitas in universa natura reciproca, ut adeo nulla ratione pars naturae a toto revulsa activa esse nequit, et sic universam naturam vita universali et perpetua gaudere concipimus, corpora autem singula hujus universi vivere vitam propriam, mutabilem, conditionatam, cum vita universali intime nexam seu privatam. Si igitur universi hujus vivi corpora singula strictiori subjiciamus scrutationi, deprehendemus triplicem horum corporum vitam: plasticam, irritabilem et sensiferam; et quidem plasticam in anorganicis, plasticam et irritabilem in plantis, plasticam, irritabilem et sensiferam in animalibus, videmus quasi emergere e plastica irritabilem, ex irritabili sensiferam, seu e vita minima major, maxima; sic systemata organica inter se diversa ratione nexa organismum humanum constituentia mutuo in se agunt et reagunt, et ex his actionibus mutuis et reactionibus inter se consentientibus vita emergit, quae non ex uno organo tamquam scaturigine, sed ex omnibus organis atque systematibus orga-

nicis in unum consentientibus atque mutuo semet sollicitantibus in lucem prodit; cum ergo omnia ad omnia et singula ad singula, imo minima ad minima (elementa ad elementa) in se agant et reagant, patet, vitam nonnisi conflictu oppositarum virium, quarum una alteram nec vincit, nec una ab altera vincitur, oriri, sed ubi oppositio virium adest, ibi et materierum oppositio adsit oportet et viceversa (nam materiae omnis attributum est vis), ut adeo in singula parte corporis organici, imo in minima etiam particula et oppositio dynamica (virium) et materialis (materierum) adsit, ita ut singula particula etiam minima per se et ex se vivat; vires hae oppositae in conflictu existentes semet sollicitant atque intendunt, quarum intentio nonnisi ad certum usque gradum locum habet, ultra quem exaequatio et exhaustio virium (simul et materierum) necessario sequitur, cum autem aequalem etiam sortem materia experiatur, facile perspicimus vitam per breve solum tempus consistere posse, nisi materierum et cum his virium restauratio sequeretur e natura rerum externa; hinc admiramur in organismo diversa organa commercium multiplex, magneticum, electricum et chemicum cum natura externa sustentare valentia, cum ergo totus organismus ita implicitus sit cum universa rerum natura, ut per se et ex se diu persistere nequeat, cumque actionem omnium experiat et reactionem in omnia exerceat, cum porro vita nonnisi sub certis relationibus, conditionibus et modis ad reliquam naturam externam persistere possit, patet, illam mutatis conditionibus mutari, et quidem mutari potest vel relate ad tempus, vel relate ad spatium; et quamvis semper ipsa vis vitalis mutetur, attamen duplex hocce aberrationis genus in praevalentia et primatu mutationis, respectu hujus vel istius radicata duplex supremum morborum genus (relate ad spatium mutatio involvit morbos

organicos, relate ad tempus, morbos dynamicos) nobis largitur, utrumque autem vel quantitate, vel qualitate, vel consensu peccare potest.

§. 4. Finis Medicinae.

Finis Medicinae est vel vitam normae suae consentaneam servare vel eandem aberrantem a norma ad normam reducere, quod primum raro curae Medicinae speciatim subjicitur, et nonnisi generatim in bene coordinatis statibus, qua Medicina publica subest; ut adeo secundum frequentissime illam occupat. Hoc in negotio ita versatur, ut statum abnormem ad summa morborum genera, nempe ad morbos organicos et dynamicos reducat, illos examinat, an processus vitalis excessu vel defectu, an qualitate factorum vitalium abnormitas inducta sit, vel tandem an consensu? dein morbos reducit ad classes, utpote: ad febres, inflammationes, exanthemata, profluvia, retentiones, cachexias, nevroses, dein ad ordines, ad genera ac species. Cum autem Scientia Medica vitae leges, conditiones, modos noscat, quae ad statum normalem requiruntur, cum porro aberrationes, modum et conditiones aberrationum causali evolutione detegit, nec non necessaria adminicula hanc vel illam mutationem sub certis conditionibus inducere valentia nobis clara reddit; utrumque postulatum praestare potest et praestat, et quidem primum in tantum, in quantum causas disponentes et excitantes arcere, moderare, aut plane elidere valebit; secundum: in quantum causas disponentes, excitantes, et causam proximam dirigere et moderare, nec non sufferre valebit, in quantum illi possibile erit, vim vitalem exorbitantem mitigare, languentem erigere, alienatam quoad indolem huic

vel illi individuo debitam, propriam restituere, in quantum tandem effectum morbi in organismo remove, mitigare aut alienare valebit. Consideremus jam modo morbos generatim practice, in his vis vitalis vel relate ad plus, vel relate ad minus, vel relate ad qualitatem, vel relate ad consensum a norma aberrat. Si relate ad plus; medicus regulis scientiæ ductus ita disponit organismum, ut vires exorbitantes componantur; quod præstat, dum aegrum stimulis fortioribus, uti: luci nimiae, calori aut frigori nimio, aëri diversis exhalationibus imprægnato, aegrum actioni illius noxiæ eripiendo, vel noxias qualitates illius corrigendo, dum aegro victum ordinat, qui nec organa digestionis intendit, nec sanguinis phlogosim auget, qui ideo organa respirationis non incitat ac propterea majorem conflictum inter sanguinem et aërem atmosphaericum inspiratum impedit, unde humores plastici ad minorem perfectionis ac elaborationis gradum pertingunt, qui potius humores plasticos solvit, conflictum inter vasa sanguifera et sanguinem mitigat, calorem et turgorem animale eo ipso imminuit; porro si major exorbitatio virium adest, medicus aegro materiam organicam (et cum ea vires, ut è supradictis patet) detrahit, evacuatione vel ipsius sanguinis, unde nutritio et reparatio omnium organorum, adeoque totius organismi dependet, unde calor et turgor proveniunt, vel evacuatione aliorum humorum e sanguine secretorum, uti: salivæ, succi gastrici, pancreatici, bilis, succi enterici, per alvum, vel vomitum, perspirabilis cutanei per sudorem, per auctam secretionem et excretionem lotii, quos humores evacuatos reparatio et restitutio nova sequitur e fonte suo, atque sic nutritio deficiens seu imminutio materiæ et hæc virium; vel relate ad minus peccat vis vitalis et tunc medicus gradui lanquentium virium accomodabit stimulos exter-

nos et internos; vel relate ad qualitatem peccat vis vitalis, etenim vitae factores relate ad plus vel minus peccantes involvunt semper et qualitatem, alia materia supponit aliam vim et vice versa, medicus autem morbos sub hoc respectu tractans conatur vim vitalem ad normam reducere, exorbitantes vires componendo, debilitantes erigendo, et tali ratione aberrationem relate ad qualitatem saepe saepius normae reddit, si quidem qualitas cum quantitate sit intimo in nexu; vel relate ad consensum peccat vis vitalis, nam, ut supra dictum est, organismus ex diversis organis atque systematibus componitur, haec organa et systemata et singillatim vivunt et simul suntim vitam unam efficiunt, et sic plurius in unum consensus saepe aberrat, e. g. vita plastica nonnunquam languet, animalis autem exorbitat, vel vita plastica legitimam proportionem inter organici constructionem et destructionem non servat, medicus in morbis sub hoc respectu ita versatur, ut praepondium sufferat, impedimenta removeat, suppressas vires expedit, et re penitus considerata vim vitalem vel expedit, vel exorbitantem refrenat.

Corollarium.

Medicina igitur vel servat vitam normae consentaneam vel aberrantem ad eandem normam reducit, ut periodum et cursum a summo rerum conditore praefixum accurate absolvat, qui est exaequatio virium, victoria naturae externae, atque obsequium vitae cosmicae legibus chemicis subjectae; cum autem ex hacce vita, quam Medicina vel integram servat vel aberrantem ad rectum tramitem reinviat, et quae legibus naturae subjecta, atque nonnisi per naturam reliquam conditionata tamquam

flos emergat vita: Liberi Arbitrii independens a reliqua natura, basim in hacce figens, ex qua tamquam e fonte et scaturigine gradata perfectione promanat, ut vis imponderabilis, tempore et spatio non limitata, lux penetrans altissima et profundissima; Medicinae, quae hanc basim Liberi Arbitrii, guttae divinae, mentis humanae nobis Ipse Naturae Author incomprehensibilis ad nutum naturae servat, certe maxima merita, decus indubium atque dignitas non vana et fastuosa esse quis diffitetur? taceo de meritis, quae Medicina tamquam filia in matrem philosophiam transmittit, scrutando universam naturam analytice ab infimis ad suprema, a minimis ad maxima (ab elementis ad composita) a particularibus ad generaliora et generalissima; Scientia Medica est, quae nobis tamquam per gradus ostendit vitae manifestationes incipiendo a corporibus nobis apparenter nonnisi spatio semet manifestantibus, uti regni anorganici ascendens, ad mirabile regnum vegetabile ducens nos, per mirabilius animale sistens nobis per classes, ordines, genera ac species, evolutionem vitae altioris, complicationem ac perfectionem ejusdem.

T h e s e s .

1. Autocratia Naturae morbos sanat, medicus curat.
 2. Si medicum natum dixeris eo sensu, ut singula scientia et ars sibi propria postulat, a vero alienum non erit.
 3. Nisi vitam plene perspexeris, morbos perfecte non curabis.
 4. Scientiae propedeuticae porrigunt filum in Labyrintho, quae ut medium, non ut finis sint Medico.
 5. Totum est relativum, venenum medicamentum, medicamentum est venenum.
 6. Medicum dices, qui omnium suorum factorum rationem reddere sciet.
 7. Si Chirurgum Medicum dixeris, partem pro toto habebis.
 8. Curemus ita morbos, ne sublatis mitioribus, organismum ad graviores disponamus.
 9. Hydrangyri etiam mitissimum praeparatum est semper remedium heroicum.
 10. Societas humana multa medicinae publicae debet.
 11. Formulae nimis compositae Medicum morbi ideam confusam habere probant.
-



